



Numisma ex aere Diocletiani, cuius posterior facies representat globum, qui à leone procumbente sceptrumque ferente, & aquila pedibus fulmen, alis sceptrum tenente sustentatur. Supra globum duae manus coniunctae adparent, cum tali inscriptione: **CONCORDIA PERPETVA**. Infra subscriptum: **IMP. AVGG. NN.**



NARSEVS Rex Persarum, Vareani secundi filius, & Varracis nepos, sub Diocletiano Armeniam, & Mesopotamiam bello laceſſebat, pluribus Regibus Sironitarum, & Alanorum, multisq; ducibus propinquis in auxilium vocatis. Contra eum miſſus Galerius: primum æquo Marte pugnatum eſt. Vnde Galerius animoſior factus, dum contra tantam multitudinem inconſultiùs progredetur, haud longè à Carris omnem penè amiſit exercitum. Sed collecto iterum exercitu, reperto hoſte in maiore Armenia, caſtra noctu hoſtilia ex improviſo xx. milibus equitum adortus, Perſarum multitudinem felici pugna ſtrauit, fugato Narſeo, pellicibùsq; cum gaza omni regia captis.

In hoc aureo numo eſt ſtatua loricate, & paludata, in ſuggeſtu ſtans, concionatura militibus, cum inſcriptione: **EXERCITVS PERSICVS.**

ACHIL